

talis gratiæ. In hoc ergo sensu verum est, dispensationem hanc posse obtineri sine licentia Prælati, imo ipso invito; quod de indulgentia affirmavit Palud., in 4, d. 20, q. 4, n. 48, et idem est de hac dispensatione, quia utraque est jurisdictionis voluntariæ, et est ad utilitatem subditi sine ullo incommodo ejus, vel religionis, et ideo ab illa non censetur religiosus exemptus; maxime quando talis potestas non communicatur proprio Prælato, quia per exemptionem non debet fraudari commune omnium commodum.

44. *An queat regularis dispensari ab Episcopo si ipsius Prælati similem habeat potestatem. — Arguitur pro parte affirmante. —* Nonnullum vero dubium esse potest, postquam per privilegia similis facultas concessa est Prælato religionis, an, eo non obstante, possit religiosus petere ab Episcopo dispensationem irregularitatis occultæ; videtur enim posse, quia per extensionem factam respectu regularis Prælati non est ablata potestas ab Episcopo, ceditque in majorem favorem religiosi ut non auferratur; sicut, licet Pontifex daret Rectori hujus Collegii facultatem ad aliquam indulgentiam suis religiosis concedendam, non propterea essent prohibiti iidem religiosi quominus Episcopalem indulgentiam lucrari possint. In contrarium autem est, quia per illam concessionem seu extensionem videtur consequenter extendi, et quasi consummari exemptio religiosorum quoad hunc actum; nam inde maxime colligimus religiosum posse hanc dispensationem obtinere ab Episcopo in terminis Concilii Tridentini, quia non alium habet Episcopum, neque aliquem vice ejus quoad talem actum; ergo, eo ipso quod Prælato ejus datur jurisdictionis Episcopalis etiam quoad talem actum, cessat subjectio ad Episcopum respectu ejusdem actus. Confirmatur primo: nam si a principio Concilium Tridentinum concessisset illam facultatem Episcopis, et regularibus Prælati habitibus quasi Episcopalem jurisdictionem, tunc non diceremus religiosum posse dispensari ab Episcopo, sed tantum a suo Prælato, quia illa facultas solum esset concessa unicuique Prælato respective in ordine ad suos subditos; ergo idem dicendum est si per subsequens privilegium in eodem statu res constituitur. Confirmatur secundo, quia alias possent nunc religiosi exempti obtinere ab Episcopis dispensationes in omnibus casibus Episcopalibus, etiam si possint easdem obtinere a suis Prælati per communem et ordinariam potestatem supra explicatam; quod videtur esse contra morem,

et contra religiosum ordinem, atque exemptionem. Sequela patet, quia per potestatem concessam Prælati religionum quoad hos actus jurisdictionis voluntariæ, non censetur ablata generalis potestas ab Episcopis, sed accumulativè in utroque esse poterit, sicut in alio casu dicebamus, nam hoc etiam erit in majus commodum religiosorum.

45. Hæc res dubia profecto mihi videtur, ideoque securius est hanc posteriorem partem sequi in praxi, obtinendo semper hujusmodi dispensationem a proprio Prælato, vel de licentia ejus, si recurrere quis velit ad Episcopum, eo quod Prælati non vult, vel non audeat sua potestate uti, aut de illa dubitat. Nam, quod de consensu Prælati possit Episcopus hanc dispensationem dare, multi affirmant. Est autem probabile, Prælatum exemptum, eo ipso quod ipse habet potestatem dispensandi, habere etiam jus ut nullus se intromittat circa suum subditum, neque ipsum præveniat in usu talis potestatis, et propterea tunc necessarium esse consensum Prælati, etiam ut sit valida dispensatio; quod secus est quando Prælati ipse potestatem non habet. Est autem hoc maxime verisimile quando dispensatio attingit aliquo modo disciplinam regularem, ut magis explicabitur in cap. 46, circa absolutionem. Nam exemptio et potestas concessa Prælati religiosi magis respicit commune bonum religionis quam commodum singulorum; et ideo, licet privatus religiosus velit cedere privilegio exemptionis, non potest in detrimentum religionis; ita ergo quamvis posse obtinere dispensationem ab Episcopo occulte, et sine scientia sui Prælati, videatur commodum privati religiosi, potest esse noxium et injuriosum religioni, ac proinde repugnans privilegio exemptionis. Quod non solum in absolutionibus a censuris et peccatis (ut infra dicam), sed etiam in dispensatione præceptorum, tam communium Ecclesiæ, quam propriorum religionis, mihi videtur certum.

46. Circa irregularitatem vero dispensationes videtur res magis dubia, quia continet purum favorem, et nullum nocendum possunt afferre religioni. Et, ut recte in simili adnotavit Paludanus supra, in n. 43, reliquæ absolutiones vel dispensationes non sunt omnino jurisdictionis voluntariæ, quia per se procedunt a potestate tam ligandi quam solvendi, ligandi (inquam) per præceptum, vel per justam sententiam; dispensatio autem in irregularitate, sicut et concessio indulgentiæ, nihil

videtur habere jurisdictionis involuntariæ, sed esse purus favor et gratia. Nullum etiam videtur afferre posse incommodum religioni, quia per illam nec remittitur delictum, nec tollitur a Prælato religionis jus judicandi et vindicandi illud in eo foro, in quo illud noverit; nec etiam propter talem dispensationem cogitur Prælati religionis concedere facultatem subdito recipiendi ordines, vel alium similem actum exercendi; solum ergo tollitur inhabilitas quædam, quod pertinet ad purum favorem sine alicujus nocimento. Propter hæc ergo non videtur omnino improbabile, dispensationem datam ab Episcopo personæ exemptæ sine licentia Prælati ejus in materia irregularitatis alias dispensabilis ab Episcopo, esse validam, etiamsi Prælati regularis habeat potestatem dispensandi in illa, maxime quando hæc potestas solum data est per extensionem quamdam concessionis factæ a Concilio Tridentino. Quia per illam jam antea habuerunt Episcopi hanc potestatem etiam in religiosos exemptos, ut probavimus, et difficilius excluditur, quam non admittitur hospes; nec satis probatur potestatem illam fuisse ablatam per subsequens privilegium. Et ideo non est similis ratio si a principio non fuisset data, aut si decretum Concilii in aliam formam factum fuisset.

47. Nihilominus contrarium, ut dixi, securius est, et saltem ad servandum rectum et religiosum ordinem existimo esse necessarium, et non dubito quin Prælati religionis possint stricte prohibere suis subditis, ne ab aliis quam a suis Prælati talem dispensationem postulent, quando ipsi possunt eam concedere. Denique, quoad alias irregularitates extra illud decretum Concilii Tridentini nulla potest esse controversia, quia propriæ nullæ sunt aliæ irregularitates Episcopales, quantum est ex vi juris communis; quoties consuetudine in aliquibus dispensare possunt, in eis id etiam observandum erit circa religiosos, quod consuetudine fuerit introductum aut retentum; non existimo autem esse talem consuetudinem quod religiosi exempti, ab Episcopo dispensentur, sed quidquid juris ipsi habebant, translatum esse censetur ad regularem Prælatum exemptum respectu suorum subditorum. Consulenda ergo sunt uniuscujusque religionis privilegia, prout sunt consuetudine interpretata et recepta, et ita observanda sunt. Quapropter non descendam hoc loco ad examinandas singulas irregularitates, et particulares casus, an in illis possint

vel non possint Prælati regulares dispensare cum suis subditis, quia cum non sint hujusmodi casus definiendi ex jure communi, sed ex particularibus privilegiis, alienum est a præsentis instituto; in propriis autem locis et materiis, cum occasio occurrerit, non omittemus ea quæ opportuna visa fuerint.

18. *De potestate dispensandi in præceptis Ecclesiæ.*—Tertium caput dispensationum recensitis numero decimo, est in præceptis Ecclesiæ. Circa quod eadem generales regulæ observandæ sunt; nam *quidquid jure communi possunt Episcopi in hoc genere circa suos subditos, possunt etiam hi Prælati circa suos*, ex illo principio quod isti Prælati habent jurisdictionem quasi Episcopalem, quæ ad hoc genus dispensationis maxime necessaria est; quia hujusmodi potestas regulariter versatur in his rebus quæ frequenter et ordinarie occurrunt, pro quarum dispensatione non potest semper fieri recursus ad Summum Pontificem, quæ necessitas non minus in religiosis personis quam in cæteris evenire solet; ergo, eo ipso quod eximuntur ab ordinaria jurisdictione Episcoporum, necesse est ut prædicta potestas eorum Prælati concedatur, alias non possent perfecte, imo nec commode gubernari. Et intelligitur hoc amplius, si addamus quod supra, n. 14 et 17, insinuavimus, ita esse hos religiosos exemptos, ut jam non possint dispensationes in his præceptis ab ordinariis Episcopis obtineri, quia tota cura animarum eorum ablata est Episcopis, et translata in Prælatos religionis; salus autem animarum in præceptorum observatione posita est, et ideo potestas dispensandi in præceptis ad curam animarum principalem et Episcopalem maxime pertinet; ergo quibus Prælati commissa est hæc cura in religionibus, eisdem hæc potestas data est.

19. Unde obiter colligo, quando in aliquibus specialibus privilegiis harum religionum, dicitur ut possint in his præceptis dispensare, vel per illa privilegia nihil præter jus commune conceditur, sed declaratur jus quod ipsam exemptionem comitatur, vel certe si Pontifex aliquid amplius concedere intendit, illud certe erit ut faciliori modo, vel ex leviori causa id facere possit, quam valerent ex solo communi jure. Exempli gratiæ, concessit Julius III¹ Societati, ut ejus Præpositus possit per se, vel alios professos, dispensare cum personis Societatis circa jejunia et cibos prohi-

¹ Bulla 2, anno 1552.

bitos, quæ concessio videtur specialiter facta propter illam particulam, *per te vel alios Societatem ipsam professos*; nam alioqui illa facultas muneri Præpositi conjuncta erat; unde illa concessio a Gregorio XIII generaliter extensa est, ut per quoscumque religiosos Societatis talis dispensatio fieri possit. Ad hunc ergo modum similia privilegia expendenda et intelligenda sunt.

20. Alia regula negativa est, quidquid in hoc genere Episcopi non possunt jure communi, Prælati etiam religionum non esse concessum, nisi ex speciali aliquo privilegio aliud constet. Probatur, quia, secluso hujusmodi privilegio, non est unde Prælati regulares habeant majorem potestatem, servata proportione. Quod autem per privilegium Pontificis hæc potestas possit ampliari, nullus Catholicus dubitavit; imo, quod in multis ita factum sit, consulenti bullas religionum, vel compendia privilegiorum, facile constabit. Hic autem iterum occurrit illa quæstio, qua nimirum regula utendum sit ad cognoscendum quid in hoc genere concessum sit, vel prohibitum Episcopis, et consequenter his Prælati, an, scilicet quidquid non prohibetur, censeatur concessum. Sed hanc quæstionem late tractavi in materia de Legibus, lib. 6, c. 4, et de Censur., disp. 7, sect. 4, ubi censui, ea tantum censeri in hoc ordine concessa, quæ vel expresso jure canonico scripto, vel usu constiterit esse concessa. Usus autem et consuetudinem extendendam diximus ad omnia, quæ moraliter ac prudenter ad regimen ordinarium animarum fuerint necessaria, nam extensionem hanc ipsa etiam ratio naturalis postulat, ut supra etiam, n. 10, tetigimus, tractando de dispensatione in votis reservatis. Juxta hæc ergo principia de hujusmodi potestate Prælatorum regularium judicandum est.

21. Suboritur tamen hic quæstio, an quidquid in hoc genere Episcopis expresse concessum est jure speciali, censeatur consequenter concessum his Prælati. Exemplum sumamus ex Concilio Tridentino, sess. 23, c. 11 et 13 de Reformat., ubi prohibet, ordinatum in inferiori ordine ante annum ab eo suscepto ascendere ad superiorem; dat tamen facultatem Episcopis dispensandi in ea prohibitione. Unde statim oritur dubitatio, an Prælati regularis possit dispensare in hujusmodi interstitiis. Quidam ergo absolute affirmant, hujusmodi decreta extendi ad hos Prælatos, propter generalia principia supra posita, et consequenter aiunt in exemplo posito Præla-

tum religiosum posse dispensare in interstitiis. Alii vero, licet generalem illam doctrinam admittant, in illo exemplo hoc negant, quia putant Concilium ibi non concedere illam facultatem Episcopo, tanquam Prælati ejus cum quo dispensatur, sed tanquam ordinatori; putant enim hanc dispensationem non pertinere ad ordinarium Prælatum clerici ordinandi, sed ad eum Episcopum a quo ordinandus est, ita ut si unus concedat dimissorias litteras, et alius ordines collaturus sit, dispensatio interstitiorum non pertineat ad concedentem dimissorias, sed ad ordinantem. Unde recte infertur, Prælatum religionis ut sic non posse in hoc dispensare, quia non est ordinator. Dico autem *ut sic*, quia si contingat Prælatum regularem habere privilegium conferendi minores ordines suis subditis, tunc poterit cum illis dispensare in interstitiis talium ordinum; non quidem ex mera jurisdictione, quam habet ut Prælati, sed ex peculiari concessionem, quæ ad illum extenditur quatenus ordinator est. Ita exposuit Emmanuel Rodericus, tom. 1 Quæstionum regularium, quæstione vigesima secunda, articulo septimo, dicitque constare ex contextu Concilii, et ex declaratione Cardinalium, prout refert (ait) Pater Gaspar Paraselus, in lib. Privilegiorum.

22. Ego vero, in libro manuscripto earundem Declarationum Cardinalium, quem apud me habeo magna diligentia et auctoritate collectum, ad dictam sess. 23, c. 11, in verbo illo, *Judicio Episcopi*, hanc declarationem additam invenio, quam etiam refert Marzilla, l. 3, tit. 13, c. 9: *Non potest Episcopus, ad quem dimissus est ordinandus, hoc judicium facere.* Quibus verbis aperte exponit contra superiorem interpretationem, hanc dispensationem non pertinere ad ordinantem, sed ad dantem dimissorias litteras. Et ad c. 13, ad illa verba: *Si per annum saltem, etc.*, additur: *Ob eminentiam doctrinæ, et bonum testimonium, et de consensu Ordinarii Summi Pontificis concedit, ut breviori tempore, etc.* Ubi, dum consensus Ordinarii, non ordinatoris, postulatur, aperte declaratur hoc jus esse Prælati superioris, non Episcopi conferentis ordines. Præterea, in ipso Concilio nihil invenio, ex quo satis colligi possit, loqui de Episcopo ordinante; nam in c. 10 verba sunt: *Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesie utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Ubi constat, nomen Episcopi de se indifferens esse ad ordinantem, vel dantem di-

missorias litteras, et ex circumstantia litteræ potius colligitur (ut Congregatio Cardinalium significavit) sermonem esse de Episcopo, qui sit proprius Prælati ejus qui ordinatur; nam ille melius potest judicare de tali necessitate vel utilitate. Similiter, in c. 13 solum dicitur: *Nisi aliud Episcopo videatur*; recte igitur Concilium exponitur de Episcopo superiore ejus, qui ordinandus est. Unde consequenter erit probabilis prior sententia, etiam quoad illud particulare exemplum, cui favet secunda declaratio Cardinalium supra citata, quatenus utitur nomine *Ordinarii*; hæc enim vox proprie admodum comprehendit Provinciales, seu Prælatum religionis respectu suorum inferiorum.

23. Sed quod attinet ad hoc particulare exemplum, cum dispensatio hæc non solum ex judicio, sed etiam ex voluntate pendeat, ex hac parte dici potest dispensatio hæc pendere ab Episcopo ordinante; quantumvis enim Episcopus, vel Prælati, qui dat dimissorias litteras, judicet expedire, et facultatem det ut interstitia non serventur, potest Episcopus, qui ordines daturus est, non esse contentus tali dispensatione. Unde, quantumvis Prælati religionum contendant, hujusmodi dispensationem respectu suorum subditorum ad eos pertinere (ut est certe satis probabile), nihilominus (quod in praxi sæpe vidimus) potest Episcopus eam non acceptare, quanquam fortasse sine rationabili causa id licite facere non possit. E contrario vero, quamvis Episcopus velit conferre ordines religioso, vel alteri sibi non subdito, non servatis interstitiis, non videtur posse jure id facere, nisi ex judicio Episcopi dantis litteras dimissorias, propter declarationem adductam, et rationem factam. Unde, quoad hanc partem, non dubito quin hæc dispensatio, seu judicium hoc, respectu regularium, pertineat ad eorum Prælatos, ad quos spectat dare illis dimissorias litteras. Atque ita nomen Episcopi in dictis decretis ampliandum esse ad inferiorem Prælatum habentem jurisdictionem quasi Episcopalem sufficientem ad dandas dimissorias litteras; ita enim ex dicta declaratione colligitur, nec possunt commode illa decreta aliter intelligi, cum hæc personæ non habeant alium Episcopum, ad quem possit vel debeat hoc judicium pertinere. Quocirca, si Prælati religionis det subdito dimissorias litteras simpliciter ad suscipiendum omnes ordines a quolibet Episcopo, nulla facta mentione interstitiorum, non videtur posse Episcopus ordinans solo suo ju-

dicio ac voluntate dispensare cum illo in interstitiis; quia omnis facultas simpliciter data, debet in reliquis omnibus intelligi secundum jus; ergo ita sunt intelligendæ hujusmodi dimissoriæ litteræ; ergo ex vi illarum non intercedit proprii Prælati et Ordinarii judicium circa talem dispensationem; ergo non potest ab ordinatore fieri, attentata dispositione et declaratione Concilii Tridentini supra dicta. Unde tandem concluditur, hanc dispensationem in rigore magis pertinere ad Prælatum ordinarium quam ad ordinatorem, quando hi distincti sunt; nam, licet uterque concurrere deberet, tamen acceptatio ex parte ordinantis magis videtur pertinere ad usum dispensationis, quam ad valorem ejus; sicut etiam dimissoriæ litteræ parum utiles erunt, si Episcopus noit eis uti, seu ordines conferre, et nihilominus de se validæ sunt; ita ergo videtur dicendum de hac dispensatione; ergo, quantum est ex se, seu quantum ad actum primum (ut sic dicam) per quem persona fiat habilis et sine impedimento, potestas Episcopalis quoad hanc dispensationem videtur extendi ad Prælatos religionis, quamvis ipsi modestiæ causa recte faciant non tam utendo verbo dispensandi, quam rogandi Episcopos in litteris dimissoriis quas conferunt, ut admittant suos subditos ad ordines, non servatis interstitiis, quia sufficiens necessitas vel utilitas intercedit.

24. Non obstante autem hac declaratione in illo particulari casu, quod ad generalem quæstionem spectat, non censeo indistincte admittendam esse universalem regulam, quam alii in n. 21 inducebant, ut ubicumque per specialia verba conceditur Episcopis potestas dispensandi in aliqua lege Pontificia, aut conciliari, eo ipso intelligenda sit concessa Prælati regularibus respectu suorum subditorum; nam, licet fortasse regulariter ita sit, non tamen videtur id esse infallibile, propter rationes in superiori puncto adductas. Consideranda ergo imprimis est materia legis; nam si illa pertineat ad salutem animarum, et ad bonum regimen spirituale earum, sine dubio admittenda est illa extensio, quia quoad hanc curam, ut supra dicebam, Prælati religionis habet totum onus Episcopale; ergo et habere debet omnem potestatem, quæ ratione illius oneris et curæ videtur concessa. Si autem materia legis non fuit hujusmodi, sed pertinens ad externum ordinem ecclesiasticum, ut omnia scilicet decenter et ordinate fiant, tunc erit ulterius considerandum an materia et

causa dispensationis talis sit, ut requirat notitiam et providentiam proprii Prælati, vel solum concedatur specialiter Episcopo propter majorem rei auctoritatem, vel gravitatem, vel ut non frequenter ac vulgariter fiat. Quando enim concessio est prioris generis, signum est intentionem legis esse, dispensationem committere Prælato Episcopali (ut sic dicam), et in eo sensu accipi tunc nomen Episcopi. Et hac ratione interpretati sumus decreta proxime tractata, et, ex declaratione Cardinalium adducta, ad omnia similia decreta, regulam seu argumentum sumimus. At vero quando facultas datur posteriori modo, quod ex circumstantiis litterarum constare poterunt, non facile est recedendum a proprietate verborum, nec specialis concessio per generales regulas mensuranda est, ut supra latius est declaratum: sed hic modus concessionis raro invenietur in puris præceptis, nisi aliqua irregularitas, vel inhabilitas dispensanda interveniat: de quibus jam dictum est.

25. *De potestate dispensandi in observantiis seu obligationibus ipsius religionis.* — Quartum caput harum dispensationum, positum n. 10, est regula ipsa, seu observantia regularis. Circa quod, generatim loquendo, certum imprimis est potestatem hanc dispensativam versari posse circa hanc materiam. Ita docet gloss. ult., in c. ult., 20, q. ult., et in capite *Carnem*, de Consecratione, d. 5; Sylvest., verb. *Dispensatio*, n. 20; Angel., eodem verbo, n. 8, et alii infra citandi. Hoc colligitur primo ex c. *Cum ad Monasterium*, de Statu monachor., ubi in fine sic dicitur: *Nec estimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio paupertatis sicut et custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Ex quibus verbis duo colliguntur. Unum est, non posse Prælatum dispensare in substantialibus votis status religiosi, neque in aliquo actu qui sit contra obligationem eorum; quod hic pro certo supponimus ex supra dictis, et ex Concilio Tridentino, sess. 25, de Regular., c. 1, dicente: *Cum compertum sit ab eis (scilicet a Prælati) non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.* Unde in præsentii, vota substantialia non comprehendimus sub observantiis regularibus, sed cætera, quæ ad regulam pertinent. Aliud ergo in illis verbis insinuatum est, posse Prælatum in his observantiis et regulis dispensare. Imo per argumentum a contra-

rio videtur ex illis verbis colligi, posse dispensare in omnibus quæ non sunt contra substantiam votorum; nam si ideo non potest dispensare in proprietate, quia est contra substantiam voti, poterit in his quæ contra substantiam non fuerint. Sed, quod spectat ad hanc universalitatem, argumentum non est efficax, quia non oportet ut ratio illa Pontificis sit adæquata; potuit enim adduci ut notior et efficacior, quidquid sit de assertionem, de qua paulo inferius. Recte autem inde colligitur simpliciter aut indefinite, quod possit dispensare in regula; nisi enim hoc supponeretur, neque oportuisset illam specialem exceptionem facere, neque speciali ratione illam confirmare.

26. Ratio etiam hoc convincit, tum quia si possunt dispensare in præceptis Ecclesiæ, multo magis in regulis religionum; tum etiam quia hæc dispensatio frequenter necessaria est; ergo oportet ut sit commissa Ordinario Prælati, alias non esset sufficienter regulari vitæ provisum. Unde constat, potestatem hanc convenire Prælati ex vi juris communis supra declarati. Probatur, quia jurisdictio Episcopalis extenditur ad ea omnia quæ spectant ad subditum, juxta proportionem ad statum ejus. Sicut ergo Episcopus potest dispensare cum clerico seculari in obligationibus pertinentibus ad statum clerici, vel ad officium aut beneficium ejus, ita cum proportionem potest Prælati regularis dispensare cum subditis in propria eorum regula. Unde etiam Episcopus potest dispensare cum religiosis sibi subjectis, et non exemptis, in his quæ pertinent ad observantiam regulæ; ergo hæc facultas per exemptionem eo ipso transfertur in Prælatum regularem. Dices: cur ergo interdum dantur religionibus specialia privilegia? Respondeo breviter, sicut in superioribus sæpe dixi, talia privilegia vel nihil novum concedere, sed explicare magis potestatem horum Prælatorum ad tollendos scrupulos; vel certe concedere aliquam peculiarem circumstantiam, ad quam ordinaria potestas non extendebatur, ut, verbi gratia, ad dispensandum facilius, vel cum minori necessitate. Quid autem horum duorum per privilegium intendatur, ex materia, et verbis, aliisque circumstantiis ejus colligendum erit.

27. *An hæc potestas extendatur ad graves obligationes.* — *Triplex ordo obligationum in religionibus juxta quosdam.* — Quæri autem potest an hæc potestas extendatur solum ad regulas directivas (ut sic dicam) quæ non obligant

ad culpam saltem mortalem, vel extendatur etiam ad quæcumque obligationem gravem, et sub mortali, provenientem ex regula, vel ex peculiari voto religionis, præter tria substantialia. Hanc dubitationem attingit Emmanuel Rodericus, tom. 1, q. 26, art. 1, distinguitque in religione tria: quædam substantialia religioni ut sic, quæ indispensabilia sunt per hanc potestatem, ut diximus; alia substantialia tali religioni, ut talis est; quæ indicavit Concilium Tridentinum, c. 1 de Regul., sess. 25, in illis verbis: *Ac si quæ alia sunt alicujus regulæ et ordinis peculiaria vota, et præcepta ad eorum respective essentiam pertinentia*, et hujusmodi putat dictus auctor esse omnia vota, quæ in aliqua religione, præter tria substantialia, fiunt; item omnia præcepta quæ ad peccatum mortale obligant. In tertio ordine sunt, et accidentaria dici possunt, omnia quæ in regula continentur, et hunc gradum obligationis non imponunt. Respondet igitur, potestatem Prælatorum regularium extendi ad omnia, tam in secundo quam in tertio ordine contenta; quia Concilium solum dixit, religiosum Prælatum non posse relaxare ea, quæ sunt de substantia regularis vitæ, et non dixit hujus vel illius vitæ regularis, sed absolute, *vite regularis*, quæ solum sunt ea quæ pertinent ad primum ordinem; ergo significat in aliis omnibus posse, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Citat enim in hanc sententiam D. Bern., lib. de Præcep. et disp.; D. Thom. 2, q. 47, art. 3; Sylv., verb. *Dispensatio*, q. 14; Sot., 1 de Justit., quæstione septima, articulo tertio, et libro octavo, quæstione tertia, articulo primo, dub. 2.

28. *Prænotatio, pro vera responsione, duplicis obligationis, ex voto aut ex regula.* — Hæc vero doctrina non potest, ut existimo, ita universaliter et sine limitatione defendi, ideoque ad explicandam veritatem, distinguamus vota peculiaria uniuscujusque religionis a regulis et præceptis obligantibus sub mortali; est enim inter hæc duo maxima differentia, quamvis ambo ex regula et ex voto oriri videantur; nam et vota peculiaria secundum regulam fiunt, et præcepta regulæ aliquo modo includunt votum obedientiæ; est nihilominus differentia, quod, licet regula ordinet ut votum fiat, tamen immediate non oritur obligatio ex regula, sed ex voto; ut in religione Minorum regula ordinat fieri quartum votum abstinendi a carnibus; facto autem voto, comedere carnes est sacrilegium immediate oppositum voto; e contrario vero, si sola regula imme-

diatè obligat ad eandem abstinentiam, verbi gratia, etiamsi obliget sub mortali (ut quidam de Carthusianis dicunt)¹ non est obligatio voti, neque excedit obligationem præcepti humani ecclesiastici; quia votum obedientiæ, quod illa lex supponit, obligat immediate ad servandam unamquamque regulam, ut supra dixi; sed unaquæque regula obligat juxta sensum et virtutem suam.

29. *Prima assertio, de votis aliis a communibus omni religioni.* — Primo ergo de obligatione ex votis assero, Prælatum religionis respective non posse dispensare in omnibus votis, quæ unaquæque religio sibi assumit tanquam substantialia suo instituto; imo, proprie loquendo, nunquam credo posse dispensare in talibus votis secundum se, licet in aliquo actu vel usu eorum interdum possit dispensare juxta legem, aut morem religionis. Explico et probo hanc assertionem primo, inductione quam idem auctor facit, adducens imprimis specialia vota professorum Societatis. Præcipuum est quartum votum obediendi Summo Pontifici in missionibus, de quo nec cogitari quidem potest, quod per Prælatos Societatis dispensari possit, tum quia non est simplex, sed solemne, ut constat ex Constitutionibus, et ex Bullis Pontificiis, et infra suo loco, tract. 10, lib. 6, c. 4, dicitur; tum etiam quia est de substantia hujus status, vel professionis, quam nulla potestas infra Pontificiam immutare potest; tum etiam quia esset valde absurdum quod inferior Prælati possit dispensare in voto facto de obediendo superiori Prælati. Præterea, quia vel Prælati Societatis potest dispensare in hoc voto quoad usum ejus, et hoc non, alias, præcipiente Pontifice missionem alicui professo, posset Prælati Societatis dispensare, ne illi obediret, quod absurdissimum est, nam hoc modo præceptum Papæ subiceretur voluntati Prælati Societatis; vel posset dispensare in ipso voto secundum se, id est, auferendo totum ipsum votum; et hoc repugnat intentioni et menti totius Societatis, et immutabilitati professionis ejus, quam habet juxta Bullas Pontificias, et juxta intentionem voventium et acceptantium, nec tantum ut professio est, sed etiam ut talis professio est. Et hoc confirmant verba Concilii Tridentini, dict. c. 1, ita intelligenda: *Si enim illa quæ bases sunt, et fundamenta totius regularis disciplina, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est.* Ratio enim,

¹ Vasquez 1. 2, disp. 162.